



~~217~~

EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

VI-59.

SIGNAT. MDCCCXIII.

Q. B. V.  
EX  
HISTORIA NATURALI  
DE  
VEGETABILIBVS  
MAGICIS

generatim different  
M. JO. HENR. HEVCHERVS,  
VINDOBONENSIS

&  
JOANNES FABRICIVS,

Rosnavia Hungarus.

S. S. Theol. & Phil. Cult.

---

WITTEBERGÆ,  
Typis JOHANNIS HAKII, M DCC.

RESPONDENS.

39

h. III. 4219



I. N. 7.

GENEROSIS, NOBILISSIMIS,

&

Maxime Strenuis,

VIRIS

DN. PAULO LANI,

DN. GEORGIO VARANYAJI,

DN. SZABADOS *Thot* MARTINO,

Illi, quidem Incltyti Comitatus Gōmeriensis DN. PROTO-  
NOTARIO, de salute Patriae immensum merito.

Isti vero itidem ejusdem comitatus incltyti

Dn. Judici Nobilium aeternum dignissimo.

Huic, autem Dno. plurimarum rerum usu,

& apud exteros celebratissimo.

*Patronis, et Satoribus literarum; imprimis*

*vero studiorum meorum propagatoribus munificentissimis, Dominis*

*meis studio totius pietatis ad cineres usq; sepulchrales*

*devenerandis.*

Hanc tenelli ingenii exercitationem litat.

RESPONDENS!

**S**Aepe multumque mirari subit, qui fuerit factum, quod ple-  
 riqve fere tam famae celebritate, quam illustrium facto-  
 rum magnitudine Clarissimi Viri, in malarum illicitarumq;  
 artium, imo ipsam occulti alicuius cum daemone initi pacti  
 suspicionem venerint. Nam ut nunc dimittam horrendas Ebraeae  
 gentis in *SERVATOREM* blasphemias, & Hieroclis, eundem cum  
 sanctissimis discipulis suis, *PETRO* in primis & *PAULO* Magiae in-  
 simulantis proterviam, nec non impia Plinii & Apuleii in *MOSEN*  
 convitia, falsasq; Theophili Alexandrini Eustathiiq; Antiocheni  
 de *ORIGENE*, Arianorum de *ATHANASIO* suspensiones: ma-  
 gna solum *PYTHAGORAE*, *PLOTINI*, *IAMBLICHI*, *POR-  
 PHYRII*, *CHICI AESCVLANI*, *ANSELMI PARMENSIS*,  
*PETRI DE AONO*, *ALBERTI M. TRITHEMII*, *HENR.  
 CORN. AGRIPPAE*, *MICH. SCOTTI*, *ROGERII BACO-  
 NIS*, ipsorum denique *STLVESTRII*. & *GREGORII VII.* Pontifi-  
 cum Maximorum nomina obversantur animo, quæ in famoso-  
 rum catalogos Magorum relata reperiuntur. De quibus tamen o-  
 mnibus haud obscure constat, illustres & maximi nominis exti-  
 tisse viros, quos & excelsa animi ingeniiqve indoles à vulgo lite-  
 ratorum distinxit, & civilis prudentia, Matheseosqve ac naturae  
 exquisita cognitio ita instruxit, ut horum ope abstrusissi-  
 marum quarumcunqve rerum scientiam adepti sint, & doctrinae  
 suae splendorem ad posteritatem etiam transmiserint, adeo, ut  
 supervacuum fere videatur esse, si quis eos, scripta ad imitationem  
*GABRIELIS NAUDAEI* Apologia, defendere velit, quicquid  
 etiam ad augendam eorundem ignominiam ac suspicionem,  
*VOETIUS* cum aliis nonnullis moliatur. Ast desii tum ma-  
 gnopere mirari, cum assiduam virtutis comitem invidiam ob o-  
 culos mihi ponerem, & quantum haec valeat penitus expende-  
 rem, quin & subductis probe rationibus colligerem, haud leve  
 forsan ad captandam tanti criminis culpam momentum conferre  
 potuisse, pessima & nullo non saeculo obvia nefariorum praesti-  
 giato-

giatorum exempla, qvalia, ne in veterem sacram pariter atqve profanam historiam excurram, recentiores *FAVSTI DOCTORIS, ZEDECHIAE IVDAEI, SCOTI PARVI, CHRISTOPH. WAGENERS, TROIS ESCELLES, MERLINI & MAVGIS* relationes, aut si cum Naudaeo mavis Romans Magiqves suppeditare possunt. Quorum praestigiae & multiplices fallaciae, etsi cum admirandis illis, qvae artis doctrinaeque subsidio praestiterunt operibus, conferendae neutiqvam sint, nihilo tamen min9 gloriae eorundem, in spissa praesertim seculorū quibus vixere ignorantia ita offecerunt, ut indelebilem infamiae notam iis inusserint. Ea enim aevi istius erat ruditas & imperitia, ut eminentiorem quemvis doctrinae gradum, communem sortem supergressum, in vitium traherent, & depravatis abrepti affectibus, ex foedissimo inferorum lacu haustum praepostere iudicarent.

§. II. Et sane aequius aut accuratius iudicium ab istis hominibus vix ac ne vix quidem expectari potuit, siquidem praeter pudendam in literis ruditatē, omnino etiam verae Magiae ignari fuerint, qvae ambitu suo summum omnium scientiarū apicem absolutissimamque perfectionem, cuius ope rari, arcani, insolitiqve effectus producuntur, complectitur. Absit enim ut eorum opinioni accedam, qui omnem Magiam cum *THOMAE RASTO*, & qui hunc defendit, *GEORGIO HORNIO* rejiciunt, & velut illicitam ac infamem condemnant, quandoquidem omnes illae quas haecenus in medium attulerunt rationes, haud uno defectu laborent, & si quid probent, nil tamen aliud evincant, quam legitimum rei usum, quod saepissime fieri assolet, abusu corruptum depravatūque fuisse. Quod qui non advertunt discrimen, vix caute satis progrediuntur, & in legitimae Magiae dignitatem iniurii ac iniquiores paulo sunt, sicut ex adverso isti plus iusto liberaliores putandi, qui illicitam Magiam, quam & prohibitam, diabolicam, praestigiatariam, transnaturalem, Woarchadumiam, veneficam, nigram, foedam, sordidam, fraudulentissimam arti-  
yo,

um, infamem, κακοτυχία &c. alias vocare solent, pleno ore infi-  
ciantur. Hi quippe vel nullos esse credunt Daemones, ut *DE-*  
*MOCRITVS*, *AVERRHOES*, *SIMPLICIUS*; vel omnes  
effectus bonis adscribunt angelis, quos per excellentiam spiritus  
appellant, iisque aerem nostrum plenum esse contendunt, ex quo-  
rum ordine sunt *PLATONICI*, *IAMBlichVS*, *PORPHY-*  
*RIVS*, *PROCLVS* & *IULIANVS IMP.* vel ex occultis &  
magneticis qualitatibus, peculiarique temperamento cum *AVI-*  
*CENNA* & qui hunc sequitur *PETRO POMPONATIO* omnia  
oriri putant; vel ad delirium, melancholiam, aliosve naturales  
morbos cum *REGINALDO SCOT* plurima referunt: vel deni-  
que ex sensu rerum universali cum *THOMA CAMPANELLA*,  
aut Ideis operatricibus cum *MARCO MARCI* potiora capita  
deducunt. In quem censum etiam *CORN. LOOSEVM*, *GAL-*  
*LIDIVM GOVDANVM*, *ROBERTVM FLVDD* a *FLVCTIBVS*, *IOANN.*  
*WIERVVM*, *BODINVM* & alios plures facile retulerim, cum hos  
veneficiis non obscure fuisse, ex scriptis eorum videre liceat.

§. III. Librato itaque utriusque sententiae pondere, veritati  
quam maxime consentaneum erit, imo tutissimum statuere, non  
omnem omnino negari ac destrui posse Magiam, cum sine dubio  
talis reperitur, quae & vitio careat, & eximiam quoque laudem  
mereatur. Quamvis lubens meritoque concesserim, fieri utiq;  
posse, ut innoxiae illi haud raro infame quid ac diabolicum ad-  
miscetur, perinde atque impura illa sub licitae schemate non ra-  
ro incedit, variaque ab ipsa saepe natura petita desumit, quibus  
non ut signis sed ipsissimis effectuum suorum causis utitur, quod  
antiquissimos Magorum jam tunc fecisse *LVCANVS*, *STATIVS*, *SENECA*  
*TRAGOEDVS* & alii testatum reliquerunt. Isti enim per naturae  
vim omnia praestitisse videri volebant. Unde multoties eos *Hec-*  
*aten* invocasse legas, utpote per quam ipsam naturam aut naturae  
imperatricem denotabant, quod locus apud *EVSEBIVM* in *Praepar.*  
*Evang.* satis superque evincit, in quo *Hecate* de se,

Τρισόχρη Φύσεως συνθήματα τρισσὰ Φέρουσα.

A 3

Qvin

Quin imo quid impedit, quo minus cum *VOSSIO de Orig. & Progr. Idol.* malos spiritus supra naturae vires nihil praestare, nihil efficere posse nisi ex viribus naturae, quis affirmet. Quid enim quaeso aliud est, quam naturalis quaedam facultas, quod potentiam movendi se & alia a se distincta obtineant, elementa norint impellere & repellere, corpora grandia velut ex Machina adducere & reducere, dispersa colligere & collecta dispergere, visibilia occultare, objecta varie disponere, corpora assumere, activa passivis applicare, organum ipsum alterare, sensus pervertere, & innumera alia efficere, quae scopo inserviunt suo, quo homines fallere contendunt.

§. IV. Quae omnia ac singula ut ad argumentum nostrum non parum faciunt, ita digna omnino sunt in quae rite inquiratur. Plures videlicet ordines sunt illorum quos produci cernimus effectuum, admirandorum imprimis atque inusitatorum, quorum alii solo supremo Numini adscribendi sunt, quos ob id supra naturales haud incongrue dixeris, cum vires naturae consuetas longo post se intervallo relinquant. Alii ab eodem quidem proficiunt Autore, omnem tamen suam originem, motui a DEO Machinae huic in prima creatione impresso legibusque certis definito debent, ideoque pure naturales appellantur. Alii vero ab his in tantum differunt, in quantum ab imaginatione, impressione ac persuasione nostra plurimum dependent, quarum stupendam vim ne prolixius pertractemus, instituti nostri ratio non concedit. Atque hi affines admodum illos esse credimus, qui à superstitione profluunt, quam optime *THEOPHRASTUS in Characteribus* & exemplis illustrat, & in *δειλία πρὸς τὸ δαιμόνιον* positam esse vult, per *δειλία* alium longe quam qui pius decet metum intelligens, quod testimoniis ex Maximo Tyrio & Augustino adductis doctissimus ejus commentator *CASAVBONVS* confirmat. Nonnulli denique effectus, quos nulli recensitarum hactenus causarum tribuere possumus, Daemone adscribuntur, ac ideo praeternaturalium, imo, quo a Divinis tanto magis removeantur, diabolicorum nomine insigniuntur.



gniri consueverunt. Quibus & illos annumeraverim omnes, qui, etsi a causa quadam naturali evidente dependeant iunice & proficiantur, quod tamen diabolus in se immisceat suamque operam praetendat, & Autorem mentiatur, diabolici aequae ac Magici dicendi sunt.

§. V. Enim vero quam frigide quamque confuse & minus accurate, si specialiora requiras, haec apud plerosque pertractentur, quis recto iudicio pollens perspicere non potest? Quamvis enim dives admodum auctorum de hoc argumento habeatur copia, ut si numerum eorum, qui de Magia commentati sunt inire velis, vix charta caperet, haud tamen ullum nominare licebit, qui omnia, prout par erat, evolverit ac deinde declararit sigillatim. Non jam excurram in omnem Materiae Magicae apparatus, quippe quem hae pagellae non caperent, sed unum saltem Vegetabile Regnum in praesens mihi propono, in quo si non omnium, plerorumque tamen industria defecit, quandoquidem parum, quantum quidem sciam, de Plantis Magicis literis consignaverint, licet earum valde fertilis seges prosteret. Namque latere istos non poterat quam frequens apud bonos Autores, Poetas imprimis, rei huius fiat mentio, ut vel exinde utilitas eius satis aestimari potuisset. Quem enim fugiunt pollentes & malae Medae herbae Tibulli, magicae Lucani, funestae Claudiani, Prometheae Propertii, pubentes Virgilii, Venenatae denique, quarum proventus in Colchide & Thessalia? Cui non dictum Molyac Nepenthe Homericum, Hesiodi Polion, stagna & aquas siccans ac clausa omnia aperiens Aethiopsis herba, Deos provocans Aglaophotis & Carduus, Asphodelus dulcis manium esca, Iubae herba & Bali mortuos resuscitans, Theangelis divinatrices, Iuniperus atque Hypericum daemones fugans, Alyssus, Baccharis, Adianthus, Satyrion, Syderitis fascini amuleta? Nec tamen videre ullum haecenus contigit, qui haec ita explicaverit, ut curiosus lector in iis acquiescere possit. Quod eo magis me impulit, ut  
capta

cāpta inde occasione hoc argumentum repeterem altius, consul-  
tisqve ipsis fontibus, totum negotium plenius pertractarem.

§. VI. Fateor me initio haut levi perfusum fuisse gaudio,  
cum passim apud autores non sine encomio citatos legerem,  
*HERMETEM, ORPHEVM, MVSÆVM, ONOMACRITVM, PT-  
THAGORAM, DEMOCRITVM, CLEEMPORVM, EMPEDOCLEM,  
KIRANVM* aliosqve, qui omnes Magicas celebraffe herbas di-  
cuntur, magnum exinde labori pollicitus solamen. At enim  
verospes omnis statim decollabat, cum viderem, plurimos horum  
temporum iniuria intercidisse, aut si quae fragmenta supersunt,  
dubiae atqve sublestae esse fidei, cum de genuinis eorundem au-  
toribus plurimum adhuc disceptetur. Nec multo magis expecta-  
tioni satisfecerunt, qui superstites adhuc sunt plantarum scripto-  
res *THEOPHRASTVS ERESIVS, PLINIUS, APVLEIVS* & qui ex  
his fontibus rivulos suos duxerunt *THEOPHRASTVS PARACEL-  
SVS, TH. CANTIPRATANVS* Alberti M. Nomen mentitus,  
*BERNH. G. PENOTVS, ALEX. SVCHTENIVS, LEONH. TVRN-  
HEVSEIVS, CARRICHTERVS, MICH. SENDIVOGIVS, IO.  
ERN. BVRGGRAVIIVS, WECKERVS, PORTA, LEMNIUS* & non  
pauci alii Herbarum, Mirabilium naturae, ac Secretorum scri-  
ptores, qui utut argumentum quod tractant, in naturalibus & me-  
dicis herbarum viribus atq; effectib9 posuisse videri velint, quae-  
dam tamē scriptis suis vel inscii, vel superstitionis labe haud leviter  
infecti inseruerunt, quae Magici quid sapiunt & praeternaturalis.

§. VII. Ast quis non videt, difficile admodum nec minus  
periculosum esse hic aliquid firmum decernere? Animo quippe  
oportet accedere & ab omni praeconcepta opinione ac superstiti-  
one libero, & scientia Naturali ac Mathematica, imo ipsa meden-  
di arte probe imbuto. Id quod vel exinde colligere licet, quod  
his fere solis natales suos Magia debeat. Cum enim primi, qui  
literis operam navarunt, soli fere syderum contemplationi in-  
cumberent, & cum hac Physicam Medicamqve artem coniu-  
gerent, semina simul iacta sunt Magiae, ex quibus in tantum ea,  
excre-

excrevit, ut totum orbem lue sua inficeret. Testis huius rei insignis est *PLINIVS*, his ea quae diximus verbis in *Historia Naturali* confirmans: *Autoritatem Magiae maximam fuisse, nemo mireretur, quandoquidem sola artium tres alias imperiosissimas humanae mentis complexa, in unam se redegit. Natam primum est Medicina nemo dubitat, ac specie salutari irrepisse, velut altiore sanctiorumque quam Medicinam: ita blandissimis promissis addidisse vires religionis, ad quas maxime etiamnum caligat humanum genus. Atque ut hoc quoque suggesserit, miscuisse artes Mathematicas, nullo non avido futura de sese sciendi, atque ea è coelo verissime peti credente. Id quod GRILLVS quoque in PLVTARCHI de brutor. solertia libro vult, Aegyptios dicens, πάντας ἰατρὸς εἶναι. Ex quo tantum non semper apud hos populos artem Medicam floruisse & sic, quod mox demonstrabimus, multum ad hoc argumentum contulisse, facile est perspicere.*

§. VIII. Quae de causa etsi tantum mihi non tribuam, ut polliceri ausim, ita totum hoc negocium absolutum iri, ut omnibus numeris perfectum sistere se erudito orbi possit; illud tamen reputans, quod & voluisse in magnis sit satis, & tentare liceat, praesentem hanc operam in Vegetabili sic dicto Regno collocavi, quod finibus suis nil aliud complectitur & includit, quam omne illud corpus naturale quod e terra erumpit, & ita procreatum est, ut vegetet, nutriatur atque augetur, suisque radicibus, foliis, caulibus, stirpibus, floribus, ramis, surculis, fructibus ac seminibus gaudeat, verbo, id quod neque Animantium neque Mineralium quae dicuntur Regna ingreditur: perinde atque *τὸ Magicum non diabolicum modo, sed & illud omne quod vanam redolet superstitionem hoc loco denotare debet.* Dum igitur de Vegetabilibus Magicis commentari instituo, id cum primis dabo operam, ut si non omnes, plurimas saltem plantas, herbas, arbores, surculos, folia, flores, fructus, semina, quae superstitiosi quid ac vani sapiunt, & quibus fraudum ille artifex hominibus imponit, recenscam,

ac deinceps, quantum per intellectus perspicaciam licet, effectuum ipsis herbis attributorum causas inquiram. Ex qua oppella nostra non solum quandam iis accessuram spero utilitatem, qui complura obscuriora scriptorum veterum loca interpretari gestiunt; sed & multas magicas circa vegetabilium usum detectum iri vanitates credo, quibus Physicam nostram aequè ac Medicinam multum scaterere in aprico est, & quas *PLINIVS* in tantum evectas suo jam tum tempore conqveritur, ut abrogare herbis fidem cunctis possent.

§. IX. Quapropter si cui rem ab ovo inchoare animo sederet, is quidem me iudice non multum à vero aberraverit, qui eius natales in ipso veterum medendi studio primum omnium quaerere velit. Nam ut hujus initium ab Aegyptiis, quorum monumenta inter illa quae supersunt procul dubio antiquissima, iure meritoque arcessi debet: ita ab omni superstitionis macula haud quaquam immune pronuntiandum vel eo nomine est, quod ab Aegypto profluxerit, quae fabularum ac superstitionum mater, ut Africa monstrorum, haberi omnino meretur. Quod vel ex eo colligere licet, si perpendamus, plurimas Aegyptiis antea ignotas herbarum virtutes in somno fuisse patefactas. Dispar quippe horum atque *ARISTOTELIS* fuit ratio. Hic enim de divinatione ex somniis agens, nulla à Diis hominibus somnia dari statuit, quasi eorum majestate, indignum sit, abire in lectos dormientium & gravatos concussare. Illi vero de cura alicuius morbi, gravioris praesertim ac desperati consulturi, antequam lecto se committerent, animo prius rite per lustrationes varias dispositio expiatoque, Deorum expectabant revelationes, & secundum eas in debellandis malis se gerebant. Ut vero simplicior paulum principio hic fuit ritus, sic procedente tempore magis magisque pluribus aucto est ceremoniis. Postquam enim successive in majorè pharmacorum vegetabilium pervenissent notitiam, complures plantarum florumque sibi revelatorum characterismos ante se positos, intensa

fixa q̄

fixa; imaginatione considerabant: deinde coelum Deosq; carminibus sollicitabant, ut quodnam ex dictis vegetabilibus ad morbi optimam medelam conduceret, per somnium monstrarent. Tum somno captando se accingentes, quod numen primum in somno iis apparuisset, illius fidei commissam aut quam aliam indicasset plantam ad depellendum morbum divinitus definitam assumebant. Id quod *IAMBlichVS de Mysteriis Aegyptiorum* his verbis testatur: ἕως ἐν Ασκληπιῷ μὲν τὰ νοσήματα τοῖς θεοῖς θείοις πάσεται διὰ δὲ τὴν τάξιν τῶν νύκτων ἐπιφαιεῖν, ἡ ἰατρικὴ τέχνη συνέστη ἀπὸ τῶν ἱερῶν ὀνειράτων. Et *ARISTIDES in sacris sermonibus* ulterius confirmat.

§. X. Neque vero soli Aegyptii in Isidis, Osiridis, Aesculapii Aegyptii, quod circa littus Crocodylorum fuit, Serapidis item ut & Haephestionis seu Vulcani, Pasiphaës fanis hunc morem celebrarunt, sed & idem Graecis pariter atque Romanis familiare admodum fuit. Hoc enim animo atque consilio frequenter dormiebant in eo praecipue quod Cous Insula tenuit Aesculapii templo, de quo *ARISTOPHANES in Pluto*:

Εγὼ δ', καὶ σύγ', ὡς τάχιστα τὸν θεόν  
 Ἐγκατακλιθῆντ' ἄγωμεν εἰς Ασκληπιῷ.

Quem ritum *PLAVTVS in Curculione* latino idiomate ferme expressit: id eo fit, quia hic leno aegrotus incubat in Aesculapii fano. Atque idem illud facere solebant in eo fano, quod Pergami Asiae urbe fuit, quo profectum Antoninum Caracallam *HERODIANVS* refert, χρῆσαθαι βυλόμενον θηραπείας τῷ Ασκληπιῷ. nec non Oropii in Amphiarai templo, de quo *PAVSANIAS in Atticis* ait: κριὸν θύσαντες αὐτῷ, καὶ τὸ δέρμα ὑποσπασάμενοι καθέυδειν ἀναμένοντες δῆλωσιν ὀνειράτος. Ex quibus autorum testimoniis elucescit clarior, quam egregie sibi respondeant Graecorum κατακλίειν & Latinorum incubare Diis, illorum δέρματα & horum lectisternia, quae omnia ad istam in templis dormiendi consuetudinem, & divinas per somnia captandi revelationes ritum respiciunt. Enim vero ad quam vulgatarum trium somniorum classem haec ipsa pertineant, iudicent ii, qui norunt quam peruersus

acidololatricus Deorum istis temporibus cultus invaluerit, & quale numen honore illo affecerint gentiles. Nullum quippe mihi est dubium, daemonem sui hic ne utiquam fuisse oblitum, sed partibus suis maxime intentum, hanc tam commodam & peropportunam cepisse occasionem, naturalem aequae scientiam ac medicam pessimis superstitionibus defoedandi. Quod & ipse *BORRICHIVS*, accerrimus alias *CONRINGII* nobiscum sentientis antagonista, *libro de Hermetis scientia* fateri necesse habet, atque ob id potius miseris harum a vero numinis cultu alienarum gentium indolendum esse censet. Nimis tamen rigide de his somniantium pharmacis pronunciaisse videtur *KIRCHERVS* in *Oedipo Aegyptiaco*, quando, etsi haec medicandi ratio subinde in conclamatis etiam morbis mirificos effectus sortita fuerit, nequaquam eos naturali herbarum virtuti & proprietati, sed occulto daemonum pacto & commercio, quo sese obstrinxerant, adscribendos esse duxit. Quamquam enim plerumque ea, quae symboli tantum loco potuerint esse, indicata fuerint, vim ipsam curandi suppeditantibus daemonebus, nullus tamen asserere dubitabit, quaedam illorum remediorum naturali quandoque modo egisse, & vim ac efficaciam suam exeruisse.

§. XI. Atque sic mediocrem aliquam vegetabilium notitiam adepti Aegyptii, non acquieverunt in somniis, sed ulterius etiam progressi sunt. Elegerant nempe sibi ex iis qui somniantibus apparuerant, decem praecipue Deos, quos ad revelanda praesentissima morborum remedia sollicitabant. His singulis singulos dicarant numeros, monadem supremo Numini & causae causarum, dyadem Nephtae, triadem Minervae, tetradem Apollini sive Horo, pentadem Isidi, hectadem Osiridi, heptadem Mercurio, octadem Ammoni, enneadem Typhoni, decadem denique Momphtae, & sic de ceteris quoque numeris Diis consecratis statuerant. Inde videbant, quem numerum exprimerent herbarum florumque folia, fructuum  
nuclei,

nuclei, thyrsorum internodia, eaq; postea illi Deorum, cuius numerum referebant, velut propria atq; sacra dicabant, ac sub eius tutela conservabant. Nec numerū solum attendebant, sed colorem insuper atqve figuram in floribus & plantarum thyrsis sollicite observabant, & num haec rotunda, teres, trigona, tetragona esset, rite disquirebant, sicqve hos thyrsos veluti sceptris convenientibus numinibus sacrabant, ut ex *Bembina* apud *KIRCHERVM* *Tabula* ulterius probari potest. Quibus rebus & ceremoniis juxta analogiam dictarum rerum adhibitis, mirandose praestare posse effectus credebant, quod praeter alios *PROCLUS* nobilis Platonius *de Sacrificiis & Magia* confirmat, dum sympathia quadam mutua & cognatione rerum terrenarum ad coelestia, mira effici posse asserit: ideoqve sacerdotii veteris autores miscuisse plura invicem putat, quia videbant simplicia nonnullam habere numinis proprietatem, non tamen sigillatim sufficientem ad numinis evocationem. Quam ob rem ipsa multorum commixtione eos attraxisse supremos influxus tradit, nonnunquam tamen herbam unam vel lapidem unum suffecisse ad divinum opus existimat, addens, in lapidibus & herbis luminum supernorum esse participationem.

§. XII. Ulterius id ipsum evidenter demonstrant decantatae apud Aegyptios herbae Hermeticae Horoscoporū, quorum si *ORIGENI* atq; *STOBAEO* credimus, triginta sex numero fuerunt. Cum enim corpus humanum in totidem dividerent partes, singulis singulos sive Deos, sive daemones, sive si cum *GALENO* & *I. M. FIRMICO* mavis, decanos tribuerunt, quorum quilibet sanitatis membri sui curam gereret. Quam si a quoilibet in suae partis curationem nomine sibi proprio invocato, herbaqve sibi dicata placato, recuperari posse sibi persuadebant. Nolo interim eam litem meam facere, quia de Decanis eorumqve numero inter se dissentiunt *FIRMICVS*, *HE-*  
*PHAE-*

*PHÆSTION THEBANVS*, atque *MANILIVS*, utram sex & tri-  
 ginta soli fuerint, ternis semper cuilibet Zodiaci signo adscriptis,  
 an vero plures, aut quilibet horum suos munifices vel synergos  
 sub se habuerit, id adduxisse contentus, fuisse illos secundum  
 duodecim Zodiaci signa distributos, infinitae in membra totius  
 corporis humani potestatis, atque certis quibusdam herbis,  
 quas horoscoporum vocare solebant, demulceri solitos. Quin i-  
 mo proprium ac solenne perquam fuit non solum singulis si-  
 gnorum imo siderum suas adsignare plantas, sed & referente  
*ABENRAHHMON* Philosopho Arabe, in usum medicinarum ex  
 omnibus naturae speciebus & gradibus entium eas res seligere,  
 quae aliquam similitudinem & proprietatem cum septem Pla-  
 netis obtinerent. Exempli loco omnes species, quae aliquam  
 similitudinem ad Solem haberent, seligebant ex Mineralibus,  
 metallis, lapidibus, animalibus, plantis & herbis, atque ex iis  
 quae influxum earum concernunt, proprietatibus, ex operatio-  
 nibus denique omnibus rerum solarium in usum medicinae  
 cordis, quia cor est quasi sol quidam minoris mundi, adapta-  
 bant; quae prolixius adhuc apud *IAMBlichVM de Mysteriis*  
*Aegyptiorum*, *MARSILIVM* item *FICINVM de Vita coelitus compa-*  
*randa* legi possunt.

§. XIII. Ecquis vero non videt, varias exinde exortas  
 esse Botanicorum vanitates, quarum haud postrema ea est,  
 dum anxie adeo quaerunt in stirpibus vim aspectuum sidereo-  
 rum medicam, ex qua deinceps enata superstitiosa illa herba-  
 rum collectio, ubi cuncta secundum influxum astrorum colligi  
 in pratis iubentur. Cui pravae vanaeque consuetudini non  
 refragantur illi, qui in Ioannis Festo effossis Hyperici stirpibus,  
 in sacro Martini anniversario abscissis surculis Cerasi sylvestris,  
 Sole in Virginis signo, Luna crescente hora merid. XII. ligno  
 sympathetico, quod fraxini est, fisso, excellentiores longe in  
 esse vires putant, cuius rei exempla plura suppeditant *REINE-*  
*SIVS in var. lect. FREITAG. noct. med. MAXVELLVS Medicin.*

Magnet.



*Magnet. GRVBIVS Arcan. medic.* Quo ipso tamen non omnes syderum, Solis praecipue ac Lunae in haec corpora actiones, saltem generaliores, exclusas volo, praesertim cum ipso solstitio salicis, populi albae, ulmi, tiliae, oleaeq; folia faciem alteram coelo obvertere, *KIRCHERVS* evincere conetur, & solisequarum ac lunarium apud *GESNERVM* herbarum exempla non pauca obvia sint, manifesto harmoniae cum suo sydere documento. Multo minus omnem sedulam accuratioremq; plantarum statis temporibus evulsionem, quam sana dicitur ratio, reiicere vel improbare contendo, id tantum cum *CONRINGIO* evincere cupiens, posse quidem syderum ortus, occasus, positusque pro limitibus variorum collectionis temporum haberi, sed ipsam illam operam certis alligare velle diebus, horis, imo minutis, id omnino superstitionem olere, atque ab Aegyptiorum circa idem illud argumentum doctrina haud quaquam abhorrere. Quam egregie explodit falseque his verbis perstringit *HELMONTIVS* in dispensatorio moderno, non desuerunt, inquit, qui immensum Catalogum morborum in signa Zodiaci retulerunt: cuius numerus cum nimis angustus esset, unumquodque signorum in triplicem sectionem ampliarunt, ut scilicet omnes herbarum vires in 36. dividerent, & cogerent arcto stabulo. Terra enim ex se producendi herbas virtutem habet seminalem, quam proin non e coelis mendicat. Quibus subjungit: Elenchus itaque esto, effectus causas tribuisse, quae nil prorsus causae simile in se possident. Ad istam tandem plantarum in septem planetas distributionem quid dicam non habeo, nisi, quod eam ipse planetarum numerus satis superque confutet.

§. XIV. Neque tamen omne in inquirendis vegetabilibus Aegyptiorum studium ad Magiam referre fas est, siquidem illum conatum non possum non magnopere approbare, quo mediante sensuum externorum ope de praestantia herbarum iudicarunt. Quin imo non erraverit, quicumque eos re-  
centi-

centiorum curam multis modis su perasse dixerit, dum praeter saporem & odorem, quos fere solos a Botanicis nostris adhiberi videas, illi quoque auditum visum, & tactum in subsidium vocaverunt. Auribus nimirum ex sono, cum percuterent plantas, acuto, gravi, tinnulo, obtuso, aspero, leni de compaginatae stirpis temperamento; manibus ex laevitate, asperitate, mollitie, hirsutie, duritie, scabrositate; oculis denique ex variis coloribus de virtutibus sub his integumentis latentibus iudicarunt, & sic constituto recte sensuum iudicio, haut incerto argumento effectus vegetabilium colligere accognoscere potuerunt.

§. XV. Verum enim vero quo rectius sese in hoc negotio gesserunt, tanto turpius ex omnium illorum qui plus sapere volunt sententia, in eo se dederunt, quod etiam per occulta similitudinum sigilla singulis rebus impressa, ante allegatas vires fuerint scrutati. Studiosae scilicet singularum plantarum characteres observabant, & cuiusnam humani corporis membrorum illi responderent, idemque exprimerent melius annotabant; eam postea illi membro maxime consentaneam esse putantes plantam, quae figura sua extrinseca, & analogam quaedam signatura id expressisset. Sic Paeoniae flores calici adhuc inclusos, Papaveris item capita capiti dicarunt, quod eius quaedam rudera repraesentarent: sic Euphrasiam, Caltham, Hieracium, Anthemini oculis conducere existimarunt, quod nescio quid ocularis rudimenti in illis reperirent: Dentariae radicem dentibus, Anthorae cordi, alias aliis attribuerunt membris, quas omnes studiosae collectas CROLLII exhibet Catalogus. Si quam itaque herbam, Cynosorchin v. g. genitalibus similem quoad figuram deprehendissent, eam generationis affectibus mederi certo certius sibi persuadebant, siquidem occulta sua signatura numen illud quod genitalibus praecesset, advocari credebant.

§. XVI.

¶. XVI. Pari quoque ratione herbarum succos, qui suc-  
cos siue humores humani corporis colore referebant, in illius  
humoris peccantis purgationem adhibebant. Hinc cro-  
ceis plantarum liquoribus bilem flavam, atris, purpurascenti-  
bus aut coeruleis nigram, albis pituitam, rubris sanguinem, la-  
tescentibus lac & sperma volebant curare. Ex quo colligere  
licet, hanc scientiam, non ut multi, quos inter *CONRINGIUS*,  
putant, a recentioribus inventam, sed *C. AGRIPPA & QVER-*  
*CETANO* testibus, ex orientalium monumentis denuo reuisci-  
tatam esse, cum apud *DIOSCORIDEM & PLINIUM* documen-  
ta huiusrei inveniuntur clarissima, adeoque ex Aegyptiorum  
nugis, si quas alat vanitates, attraxisse. Fateor equidem, me  
hic iudicium aliquandiu libentius suspendere malle, quam  
certi aliquid circa hoc de signaturis rerum argumentum decer-  
nere. Etsi enim ejus adversarii obiiciant, sequi ex hac, Ana-  
cardii e. g. fructum esse optimum cordiale, poma omnia egre-  
gium Cephalicum, pruna Aphrodisiacum, Esulae succum opti-  
mum lac generare, nil tamen eo obtinent, quam ut iis ogge-  
ratur quaestio, quam diu sit, quod Mercurius, Antimonium,  
Cinnabaris, Coriandri semina &c. ex venenorum catalogo ex-  
empta fuerint? Ut admodum placeat *BORRICHIVS lib. de Hermet.*  
*Aegypt. & Chemic. Scientia* ita differens: *Esto, non videantur respon-*  
*dere eventui figurae omnes, certe ignaviae, si verum fateri libet,*  
*humanae est, non accuratius adhuc inquisivisse, nequaquam signa-*  
*turae divinae, quam nihil otiose praeformasse existimandum.*

¶. XVII. Sunt haec prima quasistamina, ex quibus Ma-  
gica de vegetabilibus doctrina in tantum excrevit, ut latissime  
pateat, nec arctis his limitibus queat comprehendi. Quam-  
vtrum auxerit ipsum quoque Aegyptiorum solum, quod ino-  
dora mera protulisse, & medicamentis vere naturalibus parum  
abundasse evincere vult *CONRINGIUS*, pluribus dispicere non  
vacat. Certent quam diu velint inter se autores, nos illos qui

C

plura

plura desiderant, ad editas a *KIRCHERO*, *ALPINO*, *VESLINGIO*, *BORRICHIO*, aliisque plantarum Aegyptiacarum indices ablegamus, ex quibus cuique libera relicta erit decernendi facultas. Ceterum cum iam ipse latissimus Vegetabilium Magicorum campus aperiendus sit, doleo me chartae angustiis excludi, quo minus quicquid de his omnibus consignavi literis, eadem opera repraesentem. Sunt vero ex illorum ordine, ut nomina saltem praecipuorum strictim recenseam, fugantia daemones Salvia, Veratrum, Juniperus &c. fascinum depellentia Adianthus, Ruta, Sideritis &c. ad sacrificia, custodias, numinum apparitiones pertinentia Absynthium, Ricinus, Cnebon, Scordotis, &c. Sepulchralia & manes evocantia Asphodelus, Osirite &c. ad divinandum & vaticinandum adhibita Laurus, Theangelis, Halicaccabi, Bellonaria, Vatica &c. insaniam, lymphationes, somnia inducentia Strichnon, Thalassegle, Gelotophyllis, Sesamum, Nectanebi herba &c. philtrea & amatoria pocula ingredientia Oliva, Mandragora, Catanance, Cemos, Anacampserotis &c. Pecudes obstupescientia Therionarca, Ficus, Eryngium, Oenotheris &c. Superstitiose medentia Hieraceum, Theombrotium &c. imo ab ipsa morte resuscitantia Bali, Juba &c. mirandorum & incredibilium effectuum multa alia Myops, Zaolus, Adamantis, Coriacecia, Achaemenidon, Latace, Victorialis. &c. Paucis, quicquid ad Botanomantiam ullo modo referri potest, id omne sequenti cura, si tempus & fortuna concesserint, explanabo.

S. D. G.

Ung. VI 59

ULB Halle 3  
004 186 672



f

Sb.

VD 17.

Juni 2000 Al,







Q. B. V.  
 EX  
 HISTORIA NATURALI  
 DE  
**VEGETABILIBVS**  
**MAGICIS**  
 generatim different  
 M. JO. HENR. HEVCHERVS,  
 VINDOBONENSIS  
 &  
 JOANNES FABRICIVS,  
 Rosnavia Hungarus.  
 S. S. Theol. & Phil. Cult.

WITTEBERGÆ,  
 Typis JOHANNIS HAKII, M. DCC.

39 x  
 125.4218

